

formam statuti civitatis Tergesti. ¶ Salvo quod, si aliquis civis vel forensis occiderit sive interfecerit aliquem civem Tergesti ubique locorum tam in civitate Tergesti [et in] eius districtu(s) quam extra, quod dominium Tergesti teneatur et debeat procedere contra malefactorem sive homicidam talis omicidii secundum formam statuti de omicidio, non obstante aliquo statuto civitatis Tergesti, etiam si in loco homicidii fuerit facta condempnatio.

10 Cap. III. De testibus dandis et recipiendis super acusacionibus ac etiam examinandis.
R. c. a.

S tatuimus quod quelibet persona, que fatiet aliquam acusam coram dominio Tergesti, super dicta acusa nominare debeat testes in prima querela, per quos probare vellet
15 suam acusam, et hoc antequam recedat de palacio comunis dicta acusa facta et scripta; et illi soli testes quos nominaverit et dederit, super dicta acusa per ipsum facta, antequam recessisset de palacio, recipi admitti et examinari debeant et alii non ; et si aliqui alii testes, postquam acusator post acusam factam recesserit de palacio, fuerint dati¹⁾ vel producti,
20 non admittantur, et si admitterentur et examinentur, 118 B dicta eorum et cuiuslibet ipsorum sint nullius valoris. ¶ Qui testes sic nominati in prima querela, antequam acusator recesserit de palacio, scribi debeant in quaterno malefitii per
25 notarium malefitii, et dominus potestas vel vicarius sive iudex eius, vicarii loco potestatis, sive rectores potestate vacante, mittere debeat pro dictis testibus sic nominatis, incontinenti ea die vel nocte in qua fuerint dati, et ipsos testes super dicta acusa examinare, et ipsorum dictum super dicta acusa deponi
30 facere et scribi. Et si pro testibus date fuerint aliquę mulieres tempore noctis, tunc sequenti die mittere debeat pro eisdem, et ipsas pro dicto testimonio ferendo facere convenire in aliqua ecclesia civitatis Tergesti vel alio loco honesto, et ibidem

¹⁾ Aggiunta marginale.